



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 54. Henrici Bavariae Ducis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. & contra omnes præstiturum sub poena
A. C. 1450. feloniam, ac proscriptionis bonorum.

§. LIV.

Henrici Bavarie Ducis obitus.

Trith. Chro.
Spanhem.
ann. 1445.

Hoc anno Henricus Bavarie Dux, cognomento *Dives*, Friderici Landshutani Filius obiit, suoque Filio Ludovico totam hæreditatem reliquit, qui quamvis sub duro, ac illiberali Patre usque ad annum ætatis trigesimum multam perpeffus penuriam etiam rerum, quæ statui suo maximopere necessariæ erant, obsequio tamen & pietate erga eum summis laudibus celebratur. Suadentibus quondam inimicis suis (*) ut relicto Patre clam in Austriam ad Albertum Ducem avunculum suum abiret, respondit, auctorem vitæ suæ nequaquam se deseriturum, nec quoad mentis compos foret, unquam offensurum. Minore tamen prudentia ac sapientia usus esse videtur, ubi pacem cum Marchione Brandeburgensi ea conditione inierat, ut Marchio Duci Bavaro traderet quædam edicta contra ipsum ab Imperatore lata, ille ut ea accepit, publico in conspectu omnium dilaceravit. Ex eo autem Imperator gravissime offensus, Ducem læsæ Majestatis

(*) Legendum putamus, *amicis*.

statis reum declaravit, & concordiam Sæcul. XV.
A.C.1150.
cum Marchione recens in vitam omnino
irritam fecit, ceterosque Principes in eum
commovit, quem penitus oppressum con-
tinuo odio persecuti sunt.

§. LV.

Concordia duorum Fratrum Saxoniae Ducum.

Felicioꝝ concordia hoc eodem anno e-
recta est duos inter fratres, Frideri-
cum, & Guilielmum Saxoniae Duces.
Hos inter diuturna æque ac cruenta ex-
arsere diffidia ob paternam hæreditatem;
hanc quoque discordiam perfidi qui-
dam alebant Aulici, eamque in rem suam
vertebant. Fridericus, cum præcipuus
hujus dissensionis Auctor occasione Ju-
bilæi Romam petiisset, ejus absentia op-
portune usus, Fratrem suum missis nun-
ciis ad se accivit, ut de pace, ac mutua
animorum concordia cum eo ageret.
Annuit Guilielmus, atque equo confestim
conscenso Fratrem suum natu majorem
adire paravit, spretis suorum consiliis, qui
ad Ducem retrahendum ei suggerebant,
Fratris sui verba dolis plena, atque ideo
structas esse ipsi in via insidias. *Ast ego,*
reposuit Dux, libens moriar, si vos prius
necatos videro, qui fraternas altercationes
fouetis. Ducis consilio optatus respon-
dit